



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Jn Caput XIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

In Caput XVIII.



Vi sibi postea successit) Fridericus Cancellarius Pontificatum adeptus, Stephani X. nomen tulit: Non tamen immediatè successit Leoni IX. sed interiecto Victore II.

Quin etiam amore) Hunc locum ita emendauimus ex Codice Donauerdano. Nam in Rebdorffensi & Apographo Bambergensi planè deprauatus erat, licet neque iam meado prorsus carere videatur.

In Caput XIX.



Ippo in vita Conradi Salici eximiã laudem huic Heinrico tribuit. Agens enim de Conrado, quomodo pœnitentia ductus fuerit, quod ob inuestituram pecuniam accipere solet; cum proposito in posterum à tali acceptione abstinendis; de Henrico subiungit. Sed filius eius Tertius Henricus, qui postea Rex & Augustus effectus est, optimè ac sine omni scrupulo patrum votum expiauit, in omni vita sua pro omnibus dignitatibus Ecclesiasticis vnus oboli precium non dicitur adhuc accepisse. Exstat in Codice Viennensi inter Bambergensi Ecclesiæ concessa Diplomata, aliud huius Imp. quod adscribere placet; vt videant sectarij, quàm Romanis Imperatoribus nihil cum Lutherano & Calviniano spiritu commune fuerit.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis; Henricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus. Scimus, ac perfectè cognoscimus sublimationem Ecclesiarum profectum parere animarum, quia dum terrenis cœlestia, temporalibus sempiterna comparamus, cœlestem ac sempiternam requiẽ animabus nostris præparamus. Vnde nouerint omnes Christi nostriq; fideles, tam futuri, quàm præsentis, qualiter illa spe inducti donauimus pro remedio anima nostra, dilectæq; coniugis nostræ scilicet Agnetis, nostræq; prolis Henrici, seu parentum nostrorum, pro pace & stabilitate regni, decimum mansum, rectamq; fructuum decimationem totius regionis in finibus Vngarorum gladio ab hostibus acquisita, in pago Osterriche, ad al-

taro

tate S. MARIAE in Heimenburg, & tertiam partem vtilitatis vllō modo de eādē vrbe prouenientis cum omnibus pertinentiis & vtilitatibus; ea videlicet ratione, vt Praepositus Fratrum inibi Deo seruientium liberam debinc habeat potestatem possidendi, precariandi, commutandi, seu, quidquid libet, ad vtilitatem praesatae Ecclesiae inde faciendi. Et vt haec nostrae traditionis auctoritas stabilis & inconcussa permaneat, hanc chartam inde conscriptam sigilli nostri impressione, & propriae manus confirmatione iussimus inscribi.

In Caput XXII.



N obliuionem non conueniant) Post hanc capituli huius clausulam, adiungitur in Bambergensi Apographo sequens historia.

Et, si quis scire desiderat, quare gloriosissimus Imperator Henricus claudicauerit, cum primum corpore toto sanus fuerit, hanc causam nouerit. Cum ipse quodam tempore venisset in Apuliam, pro disponendis Reipublicae negotiis, peruenit in montem Garganum, in cuius crepidine sita est * leuitas, & in latere montis in rupe concaua, est basilica * planities. non ab hominibus fabricata, neque per hominem dedicata, sed operatione diuina vel virtute exstructa: mirabiliter etenim diuina benedictione venerabiliter consecrata est. Huius basilicae exstat Patronus Michaël Archangelus. In hac etenim Ecclesia, qualibet hebdomada cantus angelicus, ab his, qui digni sunt, audiri perhibetur.

Hanc itaque Basilicam, orationis causa, cum ceteris Christi fidelibus viris Deo deuotus est ingressus. Cumque laudes diuinas inibi celebrasset, & vota precum suarum cum multa deuotione Deo reddidissent: tempus iam aderat, quo caelestis exercitus ad laudes Deo persoluendus, templum hoc sacrum fuerat ingressus. Itaque, cum omnes egrederentur, & qui moram facerent, expellerentur exire; vir sanctus postulabat, vt ei intus remanendi facultas concederetur.

Igitur omnibus egressis, solus ipse, sperans in misericordia Dei, inibi manere praesumpsit, & preces precibus continuauit, & genuum flexiones iterauit: in quo multis lacrymis diuina se commisit clementia, & animam suam beato Michaëli Archangelo cum multa supplicatione studuit